

*gium dotali nomine accederet; vel filiae loco Ferdinandi fratris, Pannoniae, Boemiae, atque Austriae Regis, natam connubio jungeret; Insubrumque imperii titulos dotis jure conferret. Donec is masculam suscepisset prolem, Mediolani, Cremonaeque arces penes Caesarem essent, quadrimestri spatio adjecto, ut Caesar utrum mallet, decerneret.* Sociorum, atque amicorum foederibus comprehensa nomina fuere. Henricus Britanniae; Sigismundus Sarmatiae; Joannes Lusitaniae; Christiernus Daniae Reges; Germaniae proceres, qui Caesaris creandi jus obtinent; tredecim Helvetiorum reipublicae pagi, quibus Rhætorum trino foedere sociata gens adnectitur. In Italia vero Carolus Allobrogum; Cosmus Medices Florentiae; Hercules Atestinus Ferrariæ; Guidobaldus Urbini Dux; Genuensium, Senensium, & Lucensium civitates. Veneti uti Caesari, ac Regi pariter amicitia conjuncti nominatim iis foederibus adscripti fuere. De Pontifice vero, nisi religionis cultus rubore quodam Principes perfudisset, nulla mentio habita foret, cum ambo parum propensam in eum voluntatem gererent; Galliarum Rege conquerente, quod ingentibus periculis circumsepto, inani verborum jactatione contentus, nullam sibi opem tulisset: Caesare vero, quod Gallis favendo, suis conatibus adversus, sibi infensus extitisset, ne re, quod maxime optaverat, Gallo præstaret, metu impeditum fuisse. Moronus vero, ac Grimanus legati ad pacem tractandam in Galliam a Pontifice missi, Lugduni nuntio pacis accepto, ægre, ut Pauli ratio haberetur, impetrare potuerunt. His itaque conditionibus *xiiii. kal. octobris*, quarto & quadragesimo anno supra quingentesimum ac millesimum a partu Virginis, pax apud Crepinium, in Sueffionibus oppidum, inter Caesarem, ac Regem inita est, quæ cunctorum excepta plausibus passim mortales summo gaudio affecerat: magna in orbe christiano publicæ lætitiæ signa edita; Deo Optimo Maximo ac Cælitibus supplicationes habitæ.

Sed qui Regum ingenia, præteritos eventus, aut superiores, aut pares difficulter pati assuetas mentes inspiciebant, vix sibi suaderi poterant, Caesarem aut Belgico patrimonio, quo amplitudo Austriacæ domus niteretur, atque prope in visceribus Galliae esset, decessurum; aut Insubrum impe-